

217

N^e
299



42
Fo

H



42
Fo

N^o 37

7

98.

2

Joh. Theodoret de Fliessenhaussen
Equitis Misnici

DISCURSUS HISTORICO-POLITICUS,
de

FORMA & REVOLU-
TIONIBUS IMPERII ROMANO-
GERMANICI.

editus
ANNO SALUTIS 1695.

a 22 v

We 299

1171.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including the words:
ist
au
ru
or
co
ch
ca
N
hic
oc

ub
pu
spe
Pa





I.

Quemadmodum omnes Gentes & nationes hominum inter se invicem differunt, ita quoque Respublicæ, Regna & Imperia hujus Mundi diversam induunt naturam ac formam, prout istam vel genius Populorum vel Leges Illorum positivæ, aut Consuetudines locorum atq; Temporum introduxerunt. Politicorum agmen distinguit inter statum benè ordinatum & aberrantem, inq; illò Reipublicæ formam constituit vel Politicam, vel Aristocraticam, vel Monarchicam, vel deniq; mixtam; In hóc vero facies Reipublicæ est vel Democratica, vel Oligarchica, vel Tyrannica. Nos missos facimus tres modos posteriores, cum quibus hic nobis nihil negotii est, formas in statu benè disposito occurrentes fusius paulò explicaturi.

2. Politicus igitur Status in suâ naturâ consideratus est ubi summa Potestas & Cura boni publici dependet à Populo sine discrimine dignitatis ac Conditionis, Cujus ferè speciem fert Angliã, ubi Regni Clavus est penes Proceres Parlamenti, quod constat tribus membris, Rege scil. vel

Protectore tanquam Capite & Animâ, Classe nobilium qui salutantur Lords, & deniq; Deputatis Populi, qui vocantur Communs. Ab his etenim pendet omnis totius Regiminis suprema Potestas, ita quidem, ut Regi competat Jus atque Potestas probandi vel improbandi Decreta Nobilium atque Populi, nulla tamen onera aut nova Tributa sine Consensu horum imponere valet, adeoque quam diu inter Parlamentum & Regem viget Concordia, omnia benè se habent, Discordantibus autem atroces Tumultus & bella Civilia subsequuntur, quemadmodum Historiarum monumenta multivariè testantur, ob quam rationem seditiososque Britannorum animos Angliæ Rex ab aliquibus Rex Diabolorum appellatus fuit.

3. Aristocratiam vocant, in quâ Proceres Regni aut Reipublicæ exclusâ plebe, fræna Regiminis in salutem publicam flectunt, Ceu videmus in Poloniâ, ubi magna vis Nobilium atque Licentia est, quâ se propemodum Regis fratres arbitrantur. Regem namque & Ipsi eligunt, & quas volunt huic leges præscribunt, Quas si non annuit, proclamant Piasum, h. e. suæ nationis rusticum qualis fuit Piasus, eligere se velle. Hinc perpetuæ sunt lites inter Senatores Regis fautores, & Nobiles qui Regni commoda quærent. Horum enim tanta est Authoritas, ut uno dissentiente reliquorum suffragia fiant irrita. Et unusquisque eorum habet Jus apertæ contradictionis in Comitibus publicis, cum effectu, ut, cum cœteri omnes
Con

Consensum præbuerint, solus surgere, leque hoc non probare, dicere valeat. Rogatus, causam dissensionis præbet: Quia Nobilis sum. Neque citius controversia potest tolli, aut quicquam ratificari, quàm ipsius assensus impetretur. Nobiles siquidem Poloniæ, dum habent pingvia Privilegia, semper metuunt, ne à Rege ijs spolientur, adeoque Jus suum strenuè defendunt. Non absimilis regnandi modus viget etiam hodiè in Helvetiâ, Provincijs Belgicis, nec non Signoriâ Venetâ, ubi Cardio Regiminis publici vertitur in moderamine Magnatum & Procerum, excepto solò hòc ipsò, quòd Regem prorsus nullum in illis habeant, in hâc verò Ducem, quem vocant Doge, sub certis conditionibus ad Gubernacula admittant.

4. Sed omnibus his dictis Reipublicæ formis, meritò præfertur omnium antiquissima & perfectissima, Monarchia scilicet, ubi rerum summa Potestas est penes unum, eumque solum, quem tenet Cura boni publici. Dicitur antiquissimus hic status, quoniam coepit statim post diluuium in Nimrodo, testante id quidem Codice sacro. Nec fidem merentur, quæ de Imperijs ante diluvianis ab aliquibus proferuntur, quò tempore omnia intra meræ Authoritatis paternæ metum consistebant, diutissimè tum Patribus viventibus, & in suos, qui per innumeros interea Generis gradus propagati in maximam multitudinem excrecebant, eandem Potestatem retinentibus. Et quamvis Historiographi ratione temporis, quo Nimrod suum instituerit Imperium? valdè dissentiant, dum alij
id

id volunt circa Æram mundi 17 17. 18. & 19. & sic annò post Diluvium 61. 62. & 63. Alij verò initium ejus referunt ad annum Epochæ diluvianæ 101. aut 1000. attamen illorum dissensio non infringit mentem nostram, cùm nos hic parum de accurato annorum calculo, sed de simplici saltem antiquitatis probatione simus solliciti. Perfectissimus autem cenletur Status Monarchicus ex eo, quod naturæ convenientior sit; siquidem & hoc apparet in apibus atque Gregibus armentorum, non nisi ducem unicum habentibus. Prætereà multò est utilior Civibus; facilius etenim inter se dissident multi, quàm unus à se ipso, unde postea vinculum societatis Civilis dissolvitur in pestiferam communis salutis perniciem atque exitium.

5. Hujusmodi autem Monarchiæ imprimis quatuor innotuerunt Mundo: Babylonica, Persica, Græca & Romana. Priores tres fatò suò ceciderunt, atque ita deficiente tandem in Græciâ Stirpe Lagidarum, Ægyptoque in Provinciam versâ, cæterisve Grajorum Regnis subactis à Julio Cæsare, cœpit demum Romana, quam ad mundi exuvias usque duraturam fore credimus.

6. Unde liquet, ne quidem florentissima Regna ab imminente ruinâ atque mutationibus esse tuta. Ita enim omnia eunt in orbem; Nascuntur Imperatores & per-eunt, oriuntur Imperia & desinunt. Omnium hæc lex est, non durare semper, non manere vestigio eodem; adeoque

Sic

Sic omnia verti

*Cernimus, atque alias assumere robora Gentes,
Concidere has, sic magna fuit Censuque Virisque.
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparta; magna viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces?
Vile solum sparte est, alta cecidère Mycenæ.
Oedipodionia quid sunt nisi nomen Athenæ?
Nunc quoq; Dardaniam fama est consurgere Romam,
Appenninigenæ quæ proxima Tybridis undis:
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam crescendò mutat & olim
Immensi Caput orbis erit.*

7. Quamvis autem non negandum, multa dari hodie Regna, dum ab unô Capite reguntur, Monarchijs analogâ: Sunt enim nobis in promptu Gallia, Hispania, Russia, Turcia, Persia cum innumeris alijs; sed an hoc nomen propriè merentur, valdè dubito, nisi propter modum Regiminis Monarchicum illis saltem Titulum concedere, aut Monarchias magnas minoribus contradistinguere velimus. Siquidem vera Monarchia dicitur illa, cui plures parent Reges, quod jam memorata ista Regna ambitu suô minimè evincunt, quamvis alias eorum potentia sit amplissima.

8. Hispania quidem superiori seculo & insequentibus annis præ cœteris caput extulit, novam inter omnes Europæ

ropæ totius Principes Monarchiam affectans. Causa fuit magna Hispanorum Potentia, quæ magis Connubijs Regum cum potentissimis exterorum familijs, quàm armis excreverat hæctenus. Accesserat huic novum ex Regno Portugalliæ incrementum, quod post mortem Sebastiani Regis, à Philippo II. sub Potestatem Hispanorum redactum, & vires eorum & ambitionem adauxit. Solatium quoque non minimum præbuerunt Consilijs aurifodinæ Americanæ, è quibus Hispani tantas divitias haurire poterant, ut, nisi Belgico Bello opes istæ fuissent exhaustæ, sese omnes ædes suas auro & argento contegere potuissent, profiteantur. Attamen effectu res caruit, dum multi Principes atque Reges Europæ Hispanorum Conatibus sese vehementer opposuerunt, præsertim illo tempore, quò Cardinalis Richelius Gallorum potentiam administravit, cujus industriâ Lusitani defecerunt. Insuper Mauri Granadenses Anno 1570. spe auxiliorum Turcicorum & Africanorum avulsi, peculiarem sibi Regem crearunt; quos postea secutæ sunt Provinciæ Belgicæ, & nostro hoc seculo, Anno sc. 1640. Portugalli & Catalonij, atque hinc inde Hispania partim intestino hoste laborans, partim innumeris alijs Cladibus fracta, dimidiâque sui parte diminuta tandem exuvias præmeditatæ Monarchiæ humiliter deponere coacta fuit.

9. Cùm igitur Initium caperet Imperium Romanum sub Julio Cæsare, ejuldémque Successoribus usque ad
Caro

Carolus M. facies Reipublicæ fuit merè Monarchica, adeo, ut omnia ex arbitrio Cæsarum penderent, quorum Potestas eo tempore Despotica, nec leges, nec aliamcunque limitationem agnovit, quibus restringeretur; Verùm post illa tempora, cùm familia Carolingorum deficeret, & ad gerendum Imperium invalida facta esset, Proceres Germaniæ ex tædio Jugi Franconici, cui amplius se subicere nolebant, novum quasi Imperium constituerunt, votis semper liberis, non uti hæctenus, successionis jure innixum, Imperatorem sibi designantes Ottonem Saxonem, quò ob senium recusante, fasces Imperij tandem Anno Christi 910. Conrado I. Francorum Duci unanimi omnium ordinum consensu, per Electionem translati sunt, ceu legimus apud Winduchindum Corbej. lib. 1. annal. id quod confirmat Luitprand. lib. 2. cap. 6. *Hæc inquit, tempestate Ludovicus Rex moritur, Chunradus ergo Francorum ex genere oriundus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis à Populis ordinatur.*

10. Ab isto tempore postmodum Electio in Imperio nostro tantas radices fixit, ut Imperatorem Romanum non nasci, sed eligi, nunc pro lege habeamus. Accessit Lex restrictiva. Nam quotiescunque Caput Imperij legendum esset, toties factum est cum novis conditionibus, quibus circumscriberetur paululum absoluta Potestas Imperatorum, usque dum numerus illarum magis magisque auctus in istam Capitulationis formam excreverit,

b

rit,

rit, quam nostri Imperatores hodiè post finitam Electionem Juramento solenni confirmare tenentur.

11. Nervus autem Capitulationum quàm maximè in hoc consistit, ne Imperator Imperij facultates distrahat vel oppignoret, aut alio quovis modo, prout à Wenceslao Caroli IV. filio factum est, reddat deteriores, ut operam det, ne Respublica quid detrimenti capiat, ut Principum lites salvis cujusque Privilegijs componat, ut onera sine populi consensu nulla imponat, ut bellum sine ejus scitu non inferat, ut foedera servet, ut Provincias exteris bello partas inter nationes Teutonicas distribuat, idque generis alia.

12. Inde sequitur, quòd, quoniam Capitulatio novo Cæsari aut Regi Romano ab Electoribus nomine omnium Imperij Civium, tanquam Pactum præscribitur, atque ita Cæsar quædam cum Dominis Electoribus communicat Jura Majestatica, non quidem desierit Monarchia in Imperio nostro, sed saltim misceatur aliquo temperamento Aristocratico. Unde etiam Imperium ipsum hodiè audit Aristocratico-Monarchicum.

13. Et quamvis non negemus Capitulationum vim, quòd faciant statum Imperij mixtum, dum subjecta Existentiæ Majestatis, à quibus formæ rerum publicarum denominantur, constituunt diversa & mixta, prout
cla-

clarissimè patet ex Instr. Pac. Osnabr. Art. 8. §. Gaudeant.
Nullo tamen modo affirmari potest, Imperatoriæ Maje-
stati quid inde derogari; Alia enim res est: Cæsar non
habet Majestatem, & alia: Cæsar non solus habet Maje-
statem. Majestas enim in pluribus Existentiæ subjectis
esse potest, citra sui multiplicationem, ad Exemplum
animæ, quæ in pluribus membris corporis eadem
existit.

14. Post Conradum Francum, Imperialis Dignitas
non semper fuit in una Gente aut familia, sed per diver-
sa temporum intervalla variè devoluta est. Primum qui-
dem transijt ad Saxones, quorum Duci Henrico Con-
radus moriturus Sceptrum Imperij cum Diademate,
quod adhuc Norimbergæ superstes adservatur, trans-
misit, ut sibi ceu dignissimus in Imperio succederet. Id
quod factum postea testatur Regino Lib. 2. Chron. his
verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis 920. Henricus Dux*
consensu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thu-
ringorum & Saxonum Rex eligitur. Cùmque Insignia
ista Cæsarea Henrico fortè in Aucupio versanti offerren-
tur, Aucupis inde Cognomentum accepit, inque ejus
posteris, tribus scilicet Ottonibus, continua serie sibi in-
vicem per Electionem succedentibus mansit Imperium,
usque dum Ottone III. sine prole extincto, illud cessit
Anno Christi 1002. Henrico II. Duci Baviaræ, & Ottonis
M. propinquo, qui ob vitæ morumque integritatem *San-*
cti nomen meruit, ad quam referenda illustris ejus Ca-
stitas & Continentia, quippe quâ Uxorem suam Cuni-
gundam nunquam cognovisse, sed Virginem relictam
b 2 pauco

pauco tempore ante suum ex hac vita discessum, Amicis reddidisse dicitur, *Recipite inquit, Virginem, quam tradidistis mihi, vestram.* Hinc prole carens tandem post actos in Imperij Administratione XXII. annos, pie obiit. Cranz. lib. 4. capit. 35.

15. Anno igitur Christi 1024. Imperij fasces denuo & quidem secunda vice redierunt ad Francos, electo Conrado II. qui etiam *Salicus* vocatur. Sub quo Imperium magnum Incrementum sumpsit, dum ei ex Testamento Rudolphi ignavi Anno 1033. Regnum Burgundiae amplissimum, totam tunc temporis Helvitiam, Sabaudiam, Burgundiam utramque, magnamque Galliae Lugdunensis partem complectens accessit, quod Regnum alio nomine à Metropoli Arelate Arelatense audivat, ejusque intuitu Reges Galliae diu fuere Imperij Vasalli, cujus rei firmissimum praebet adhuc hodie argumentum Titulus Archi-Cancellariatus, quem ad Constitutionem Aureae Bullae c. 2. in hunc usque diem gerunt Archi-Episcopi & Electores Trevirenses. Stetit autem Imperium in Natione Franconica usque ad Annum Christi 1125. ex qua post obitum Conradi Henricus III. Henricus IV. & Henricus V. Imperatores notantur.

16. Post Francorum fata Imperium rursus transijt ad Saxones, quorum Dux Lotharius Henrico V. successit Anno

Anno 1125. Sed non diu permansit apud hos; siquidem post ejus mortem statim ad Svevos devolutum est Anno scilicet Christi 1138. potiente eô Conrado III. qui Henricum Saxoniae nec non Bavariae Ducem, Generum Lotharij, Imperium sibi vendicantem proscripserat. Otto Frisingens. lib. 7. cap. 23. Ursperg. in Chron. Successerunt ex ejus familia Fridericus I. Aenobarbus sive Barbarossa dictus, Henricus VI. qui per Conjugium cum Constantia Rogerij filiâ, Guilielmi Regis Siciliae Consobrina, Siciliae Rex & Apuliae Dux factus, Provincias istas Imperio in perpetuum junxit, hac quidem conditione, ut istud hæreditario Jure cederet familiae Ducum Sveviae, quod tamen cum morte Henrici expiravit. Secuti sunt porro Philippus, & Otto IV. (qui quidem non fuit Svevus natione, sed Dux Brunsvicensium, & post tres annos regiminis se iponte abdicavit Imperio) Fridericus II. & Conradus IV. (cui adjungendus in hac Periodo Wilhelmus Hollandiae Comes, itemque Richardus Angliae Regis frater, quorum uterque contra Conradum & ejus Patrem Fridericum II. Imperatores lecti fuerunt) sed in Conrado Anno 1253. extincto tandem Imperatoria Svevorum Linea lugubriter desijt.

17. Ab isto tempore magnum istud ac celebre Interregnum secutum est, quod juxta sententiam quorundam octodecim, vel ut alij volunt, viginti duorum Annorum

riorum fuit, quò finito Rudolfus Comes Habsburgensis, Principum sui temporis prudentissimus atque fortissimus, primus Austriacæ Domui Decus Imperij intulit. Et quamvis pauci interdum interjecto tempore Imperatores, ex alijs diversorum Principum Familijs ad Imperium adspirarint, e. g. Adolphus Nassovius & Ludovicus Bavarus; Potissimus tamen Cæsarum numerus debetur Inclytissimæ Austriacæ Prosapia, quippè ex quâ ducentos quinquaginta per annos XVI. Archiduces habuimus Imperatores, Regesque Romanos, quorum XIII. posteriores continuâ serie, & sine Interruptione per legitimam Electionem inde quæsi & coronati sunt. Superstites ex ijs, faxit Deus diu! veneramur adhuc, non sine magno Imperij & Subditorum solatio, Inviçtissimum Imperatorem LEOPOLDUM MAGNUM, felicissimum hostium Orbis Christiani Domitotem, & vestigia Magni Patris strenuissimè prementem Filium JOSEPHUM, Regem Romanum Sacratissimum. Quibus validissimis Publicæ salutis Atlantibus Solium undique ferreum, & Sceptra adamantina cum perenni Victoria atque felicitate, ex intimis cordis nostri penetralibus, devotè precamur.

18. Hoc autem certum est, Nos habere fundatissimam Prætensionem in Regnum Italiae atque Galliam, cujus Vestigia præbent Archi-Cancellariatus Trevirensis & Coloniensis in Imperio nostro superstites, Sed utinam Jus istud prætensum in beatissimam possessionem posset mutari!
Cæte-

Cæterum dolemus, Imperium nostrum carere potentiâ navali, quam habere non minus proficuum esset, quam fines undique Munitissimis si fieri posset, Castellis atque Præsidijs cingere, quorum tamen loco nobis arctiores cum exteris Principibus atque Regibus uniones & fœdera cum vicinis esse possunt.

19. Ultimô denique locô notandum, ut reconciliata Pace non facilè restituat loca bellô parta, qui amplificare vult fines Regni aut Imperij. Deinde etiam mores intueatur Subditorum. Siquidem liberis Gentibus liberè imperandum, eò namque pertinet Interesse Principum, quò felicitas Subditorum.



No 299

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



1077 20



ULB Halle
006 699 464

3





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

57

7

98.

2

de Fliessenhausen
tis Misnici
TORICO-POLITICUS,
de
REVOLU-
PERII ROMANO-
MANICI.
ditus
LUTIS 1695.

220

Ne 299

